BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

SICILIA SACRA

In qua Episcopatuum nunc Florentium, ac eorum dioeceseon Notitiæ traduntur.

LIBER TERTIVS.

AVCTORE ABBATE NETINO

D. ROCCHO PIRRO

S.T. et V.J.D. in S.ᵒ Quæsitorum Fidei Tribunali Censore, Atq Consultore.



Apud Hieronymum de Rossellis

BIBLIOTECA COMUNALE DI PALERMO

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA



ILLVSTRIS.MO ET REVERENDIS.MO DOMINO

DON OCTAVIO BRANCIFORTIO EPISCOPO CATANENSI

ABBAS D. ROCCHVS PIRRVS D. D.

SACRAS noſtræ Siciliæ res pertractans, Illuſtriſſime Præſul, poſtquàm trium Metropoleon Panormitanæ, Meſſanenſis, & Monteregalenſis, atque Epiſcopalium Sedium temporum iniurijs deperditarum meas Notitias propoſui, deueni tandem ad eas Eccleſias, quas nunc Epiſcopi feliciſſimè adminiſtrant. Id verò, ne quampiam alijs poſthabere meo iudicio velle videar, eo ordine proſequi ſtatui, quẽ præſens rerũ Eccleſiaſticarum publica oeconomia, ac politia admiſit, cùm in ſolemnibus Regni Comitijs ad ferenda ſuffragia Antiſtites cõueniunt, atque conſidunt. Catanenſis igitur ſe mihi primùm obtulit Eccleſia. & lætus quidem eam excepi, gratulatuſq; mihi ſum tui gentilitij Leonis omen. etenim cùm deuexa iam ætas in dies mè magis, magiſq; vrgeat, nequa pars mei operis, quam abſoluerim, fortè pereat, dum reliquias inchoatas opperitur, cuiuſlibet Eccleſiæ Notitiã ſeorſim à cæteris publici iuris facere decreui; at quis Patrono ſingulis opus eſſe non videat, cùm facile fiat, vt quæ pars operis eſt exigua, & aliarum conſortio deſtituta,

BIBLIOTECA COMUNALE PALERMO

tuta vel in tenebris deliteſcat ingloria, vel inuidorum genuinis, ac rabie impetatur, ac dilaceretur. meritò ergo in clientelam tuã, Illuſtriſſime Pręſul, mea hęc tuæ Catanenſis Eccleſiæ Notitia accurrit, ne interitũ timeat, aut acres maleuolorum impetus. Cùm in Leone ſol ſedẽ figit ſuam, vmbram in rebus quàm minimã patitur; ad tui igitur conſpectum, qui veluti ſol in Brãcifortiæ Familiæ Leone emicas, diſijci tenebras neceſſe eſt, latiſſimèq; omnia colluſtrari. Leoni collatam Brancifortiã familiam, quis vmquã reprehendat, cùm nomen ipſum à ſuo gẽtilitio Leone traxerit, idq; ſtemma, nõ ambitio, nõ adulatio, nõ inania laudũ deſideria, ſed res ipſę, & pręclara facinora, debitaq; partarum victoriarũ decora omnium plauſibus excepta cõtulerint; tantũ verò in te lucis ſplendoré, quantũ in ſole intuemur, & tui Genitoris, & propria tui animi virtus accendit; nam vt cæteros Brancifortiæ familiæ heroas taceã, cùm nulla ſanè fuerit familia pluribus honorũ titulis locupletior, vel prole fæcundior, magnum profectò Genitor tuus Hercules nomen, famamq; comparauit, Prudẽtiæ, Comitatis, Liberalitatis, & Magnanimitatis grandi pretio coëmptam. illũ ſapientiſſimus Rex Philippus II. Duci Terrænouæ in Germaniam ad Imperij negotia trãſmiſſo comitem addidit, vt haberet .ſ. Herculem Atlas ille, cui immenſam negotiorum molem, ſi opus eſſet, cõcrederet ſubſtinendam: nec illum Prouidentia fefellit, nã cùm deceſſiſſet Dux, intrepidus Hercules onus ſubijt legationis, prudentiſſimèq; adminiſtrauit. Te verò Matriti in aula Regia hoc eſt in theatro orbis terrarum ad Cortinã Philippi Magni Regis familiarẽ Regium virtus tua cõſtituit. honor hinc tibi partus, qualis ante te Siculorũ procerũ nulli. eadem deinde virtus inſulam Cephalœditanã contexuit, quam licèt vniuerſi, te præter, tuo capite minorem cenſerent, bene tamen ominoſam credidẽre, quę ſuo nimirum nomine exordium ſe & caput aliorum fore honorum præcinebat; & ratũ fuit omen. nuper te Catanẽſis Eccleſia & Vrbs excepit proh quãtis, Deus bone, lætitijs effuſa! & ſanè quę Ciuitas celebertima diſciplinarum Academia gloriatur, digna te eius Gymnaſij Cancellario fuit doctiſſimo ſcientiarum alumno, & patrono: quæ magnatum nobilitatem fœcundiſſimã genuit, atq; alit, digna te fuit nobiliſſimis edito natalibus; quæ locuplete gloriatur ſacerdotij prouentu, digna te fuit liberaliſſimo in pauperes, & amicos largitore; niſi quod ex tua tanta claritudine, neſcio quid ſibi in poſterum timet nõ tuis inuida meritis, ſed de ſuis trepida detrimentis. At ſingulas tuarum virtutum partes perſequi, Præſul Illuſtriſſime, vnius epiſtolæ anguſtijs non poſſum; haſce verò honorum teſtificationes publico ſuffragio tuæ virtuti exhibitas nec ipſa tua modeſtia, vt tacerem, optare fatè potuit. Age ergo tuo luminis præſidio meã hanc Notitiã colluſtra, ne tenebris inuoluta deliteſcat, vel incurſibus eorũ, qui malè agunt, oderuntq; lucem, laceretur. Negotijs Eccleſię tuę te tãtiſper eripe, imò negotijs ereptũ tuę te eccleſiæ cõcede, ac præceſſores tuos cõtemplare, qui alacres cœtum ſuum tui acceſſione vehementer nobilitatum intelligunt, certòq; credunt fore, vt Catanenſem Eccleſiam Brancifortij Leonis fortitudo feliciſſimè tueatur. Vale Panormi 14. Iulij, ann. ſal. 1638.

CATA-

CATANENSIS

ECCLESIÆ EPISCOPALIS

NOTITIA PRIMA

ABBATE NETINO

D. ROCCHO PIRRO

AVCTORE.

CATANA inter Siculas maritimas vrbes peruetusta, & *Clarissima* Ionico mari alluitur, & ad radices Ætnæ, cui subest, extenditur; inde Catanæ nomen ortum putant aliqui; nam, κατάνω græcè, sub alto latinè redderes. id verò deductum rentur alij à Catania Euerij Magni Ducis vxore, [a] vel à Catano Duce (vt veriùs credo) qui ad inhabitandam Siciliam Naxios duxit [b]; anno mundi 4462 ex supputat. Eusebij, à Calcedonēsib. ea vrbs cōdita est. Cùm Hieron Senior Syracusarum tyrannus eā suo subdidisset imperio, abrogato Catanæ nomine, vrbem quidem ipsam *Aetnam*, se verò Ætnæum nuncupauit [c]. Hierone ibidem defuncto eiecti Catanenses in patriam reuersi, abolito Ætnæo nomine, pristinum Catanæ restituere [d]. Regia non modò Hieronis [e] fuit, sed etiam Regum Aragonensium, qui in Sicilia regnarunt, Petri II. Ludouici ibidem nati, Friderici III. ac eius filiæ Mariæ; ideoq; non immeritò ipsa in celebri illa epigraphe, ita de se loquitur *Tutrix f Regum, Castigo rebelles, inuictos supero.* Fuit Summo Proardiorum magistratu [g], equestri militia, eruditione, opibus, florentisque populi frequentia nobilis [h], tribus Theatris, Amphiteatris, Thermis, quorum ruinæ adhuc visuntur, ornata, ac Gymnasio honestarum disciplinarum insignis, quod Marcus Marcellus in ea vrbe, captis Syracusis, instituit [i]. Hippocratis ætate tria tantùm famæ celebritate præclara recensebantur Lycæa, alterum Rhodi, alterum in vrbe Cariæ Cnido, tertiū in Siciliæ Catana [k], ab anno 1444. Papæ Eugenij IV. atque Regis Alphonsi auctoritate quæ nunc floret studiorum ratio incœpit. Sacrario olim Cereris in toto terrarū orbe religiosissimo [l], sed post Christiani nominis exortam lucem episcopali Sede ab Apostolo Petro excitata satis illustris fuit. Cathedrale templum D. Agathæ sacrum est; ibiq; eius inuictissimæ Virginis Reliquiæ religiosissimè coluntur.

CATANAE VRBIS NOBILITAS.

a Ioseph Carniliuarius in hist. Sicul. p. 2. fol. 109.
b Thucid. lib. 6.
c Diod. lib. 14. Strabo lib. 6.
d idē Diod. lib 11.
e idem lib. 9.
f Brunius lib. 1. tab. 69.
g Cic. in Verrem.
h Pindar. in nem. ode 9.
i Plutarc. in Marcel.
k Hieron. Mercur. in cōm. hypp. de morbis acutis fol. 158.
l Cic. in Ver 6.

1. SANCTVS BERYLLVS Catanensi Ecclesiæ à D. Petro Apostolorum Principe primùs omnium præfectus est. de anno non liquet, sed haud multum abesse à 44. crediderim. De hoc Beryllo in Martyrologio Romano die 21. Martij legitur. *Catanæ S. Berilli, qui à D. Petro ordinatus episcopus, cum multos gentilium conuertisset ad fidem, in vltima senectute quieuit in pace.* Notat verò ibi Baronius & rectè eius etiam menologia Græca eadem die meminisse, cumq; planè diuersum esse ab eo Berillo, quem S. Hieronymus de scriptor. ecclesiast. vixisse dicit temporibus Alexandri Imper. & successorum eius. Meminit eiusdem Beryli Baronius ad annum 46. nam recensens Antistites à D. Petro constitutos in Sicilia numerat Pancratium, Martianum, Beryllum, & Philippum. & sanè decuit, vt huic Vrbi Catanensi adeò nobili, atque celebri Antistes daretur ab Apostolo Petro, vt inde faciliùs, & feliciùs ad reliquas vrbes Christiana religio deduceretur: id enim maximè ipsum respexisse in constituendis ecclesiarum sedibus, cum Baronio aliàs [a] diximus; Catanam verò quàm florentissima dignitate præstantem Romanorum Prætorum sedem fuisse certum est. *Ann. Chr.* 44.

Anno salutis 252. cùm Decius [b] Romani Imperij clauum teneret, eius nomine Catanæ degens præfectura Sicula fungebatur Quintianus. fuit is genere Hispanus, vti scribit Flauius Dexter ad an. 300. cùm de D. Centella Toletana L. Ragonis Quintiani filia loqueretur, ait *sub huius Quintiani patre L. Quintiano D. Agatham martyrium consumasse.* Inter omnes verò qui martyrium tunc fecere pro Christiana religione, maximè enituit virile illud, ac magnanimum pectus præclarissimę Virginis Agathæ, quod totius Siciliæ decus est, & ornamentum immortale. Acta eius Virginis apud Simeonem Metaphrastem sunt, atque apud alios scriptores hagiographos; quare ex ijs hic nihil attingam. De Patria D. Agathæ diu disceptatum est Romæ anno 1601. Cùm enim Clemens VIII. [c] animaduertisset in Romano Breuiario, eiusque lectionibus, & vitis Sanctorum pleraque addita, & immutata fuisse; nonnullis pijs, ac eruditis viris demandauit, vt id accuratiùs inspicerent, examinarent, & quæ deprauata, atq; recognitione indigere animaduerterent, pro sua ipsi doctrina, ac pietate restituerent, ab ijs verò inter alia perpensum est apud veteres historicos Græcos D. Agatham dici *Panormi natam*; in antiquis verò Passionarijs nihil haberi de Patria S. Agathæ; apud aliquot [d] Breuiaria, & plerosque scriptores, quos in suis allegationibus referebant Catanenses appellatam *Catanensem*; imò pro ea voce, cùm quoddam ederetur Breuiarium Placentiæ anno 1554. subrogatum esse *Catanæ ortam*. Decretum verò primùm fuit, eradendas esse has postremas voces, & priores illas reponendas; Sed cum ea dere quererentur Catanenses, Panormitani verò ei decreto standum esse vellent; Senatus Panormitanus, ac simul Catanensis suam quisque causam agere, suasq; afferre rationes magna animorum contentione cœperunt. Pro Panormitanis aderāt Marianus Valguarnera in græcis, ac latinis litterarum studijs eruditissimè versatus, ac Berlingherius Vigintimilius nobilissimus vir; pro Catanensibus verò rem maximè vrgebat P. Bernardus Colnago Catanensis è Societate Iesu, vir doctrina, ac sanctitatis opinione celebris. Decretumq; tandem est, vt in Breuiario scriberetur. *Quam Panormitani, & Catanenses ciuem suam esse dicunt*. itàque ea lis dirempta est. II. 252. III.

Ne

[a] in Not. Panor. ad ann 44. ex Bar. ad an 39. nu. 10. & 11.

[b] Baron. eo anno. D. AGATHAE MARTYRIVM.

[c] In bulla de eare.

[d] Gall ea nū Romanum ante an. 1500. Mazaraba S. Isidori Archiep. Toler. ann. 1502 Benedict. Monast. Catanen. S. Anton. Flor. p. hist. tit. 1. c. 6. §. 5. Vincent. Valent. in ser. D. Agath. Bapt. Fulgos. lib.